


AMISIMVS CEPIMVSQVE



Amisimus Romam,
amisimus regnum
atque dominatum;
tametsi non nostra
sed temporum culpa
est. Verum tamen per
hunc splendidum
dominatum in magna
orbis parte adhuc
regnamus. Nostra est
Italia, nostra Gallia,
nostra Hispania,
Germania, Pannonia,

Dalmatia, Illyricum, multaeque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium est ubicumque Romana lingua dominatur.

(Lorenzo Valla, *Elegantiarum Libri VI*)

C. IVLIVS CAESAR VRBIS ROMAE DOMINVS



Caesar in vacuam urbem venit et dictatorem se fecit. Inde Hispanias petivit. Ibi Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus superavit. Inde regreditur et in Graeciam pervenit; contra Pompeium dimicavit. Primo, proelio vincitur fugitque; evasit tamen, quia per noctem Pompeius eum non persequitur. Caesar dixit: "Vincere non scit Pompeius".



(Eutropius, *Breviarium*, VIII)

ROMANI IN GALLAECIA

Decimus Iunius Brutus, provinciam Hispaniam Vltiorem gerens, Romanis provinciis novum finem dedit et inde "Gallaecum" cognomen meruit.

In illo tempore turmae praedonum, egestate cibi coacti, Lusitaniam continenter populabantur, atque Brutus exercitum in expeditionem adduxit ut illas iniurias in Romam terminaret. Proclamavit Romanam auctoritatem minuere et populos Hispanos imperium Romanum minari. Itaque, Brutus, in septemtriones cum copiis veniens, multas gentes subegit. Paulo post, cum militibus suis ad flumen pervenit. Ibi iussum dedit Brutus: "Milites mei, in alteram ripam transibimus et maximam gloriam obtinebimus, quia illam partem terrarum nullus Romanus vidit". Illi viri, qui in tantis pugnis fortes ante fuerant, dixerunt flumen Lethem esse, et transitum oblivionem creare. Brutus suos milites, veteri superstitione captos, increpavit: "Exercitu Romano digni non estis. Videte me et exemplum capite". Subito his verbis calcaria equo, qui hinnitum expulit, subdidit et trans flumen it. In alteram ripam veniens, nomine omnium militum vocavit. Sic, memoriam suam esse integram probans, superstitionis fraudem monstravit peregitque iter usque ad promontorium quod super mare impendit: ibi solem sub aequorem vespere viderunt. Dehinc illum promontorium "Finis Terrae" vocatur.

LVCIVS IUNIVS BRVTVS

Vulgus Romanus Lucium Iunium Brutum, filium sororis regis Tarquini, stultum esse putabat. Sed frater suus, ob divitias ab avunculo invisus, crudeliter occisus erat; itaque, Brutus, idem fatum metuens, stultitiam finxit. Sed post paucos annos in regem Tarquini, paene ab omnibus Romanis contemptum, magnum odium crevit, quia filius suus Lucretiam, nobilem mulierem, stupraverat. Brutus, occasionem optimam cognoscens, nuntiavit reges potestatem non merere, et populum possidere summum imperium. Tum res publica incepit et duo consules creati sunt: ipse Brutus, et Lucius Tarquinius Collatinus, Lucretiae maritus.